Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XIX. De Completorio Episcopo praesente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

TITVLVS XIX.

De Completorio.

1. SI Epiſcopus Completorio intereſſe, & officium facere voluerit, erit cum Cappa in choro in loco ſeu ſtallo digniori, panno aliquo, vel tapete cum puluinaribus parato.

2. Officium verò ipſius erit circa hæc videlicet vt dicente Cantore *Iube Domne benedicere*, ipſe ſtans reſpondeat *Noctem quietam &c.* & poſt lectionem breuem *Adiutorium noſtrum &c.* Deinde *Pater noſter*, tum Confeſsionem & Abſolutionem, & alia vſque ad *Deus in adiutorium &c.* incluſiuè, & inchoato Pſalmo ſedebit.

3. Cætera omnia dicentur per Chorum & Hebdomadarium vſque ad orationem, quam ipſe Epiſcopus cantabit & dabit benedictionem dicens *Benedicat & cuſtodiat &c.*

4. Cum verò Epiſcopus præſens erit, & non faciat officium, omnia prædicta per Hebdomodarium in loco ſuo fient habitu Canonicali ſuo ordinario indutum, obſeruatis tamen reuerentiis debitis verſus Epiſcopum. Nam ipſe Hebdomodarius ad verſum *Indulgentiam* in principio, & ad Verſiculum *Benedicat vos &c.* in fine, inclinabit ſe profundè verſus Epiſcopum antequam ea proferet.

TITVLVS XX.

De matutinis præſente Epiſcopo.

1. IN matutinis, quando Epiſcopo placuerit officium facere, hora competenti aſſocia-